SYLLOGE
DOCTRINARUM MEDICARUM
EX
AURELIANI LIBRIS ACUTORUM MORBORUM
EXCERPTA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XIX. M. APRILIS A. MDCCCXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

J. R. LUDOVICUS SIEDMOGRODZKI,
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
F. ADLER, MED. DD.
F. NEUMANN, MED. DR.
O. REICHEL, MED. DR.

BEROLINI
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

Caput I.

De vita Caelii Aureliani.

Vitae Caelii Aureliani descriptionem genui-
nam atque omnibus numeris absolutam exhibere
prohibemur, cum fontes, e quibus hauriri possit,
plane deficiant. Quanam e gente fuerit Lucius
Caelius Aurelianus, vel Lucius Caelius
Arrianus 1) a nonnullis dictus, quamquam ple-
ique viri doctissimi, duce Reinesio, 2) Cae-
lium Aurelianum eum vocandum esse non
dubitent, plane nos fugit; verisimile vero est et

---

1) Val. Chimentellus de Honore Bisellii cap. XXIV. — in ed. C. Aurel. Ammann. p. 25. — Renatus Moreau de missione sanguinis in pleuritide pag. 28. ib. — Hadrian. Junius Animadversiones Lib. VI. cap. 1.

2) Th. Reinesius Var. Lect. III. cap. 17. p. 656 seq.

e genere scribendi peculiari, quo usus est, et ex auctoritate atque testimoniis veterum medicorum, Plinii e. g., eum Siccae Veneriae, Numidiae urbis, natum fuisse. De tempore, quo Aurelianus vixerit, magna inter viros doctissimos dissensio intercedit, cum nonnulli eorum saeculo quinto, alii fine secundi vel initio tertii eum vixisse contendant. Illis praecipue adnumeratur Reinesius, 1) dicens: „seculo quinto enim vixisse arbitramur, cum linguae latinae puritas Europearum gentium idiotismis et Hunnorum Gothorumque Barbarie paene decoxisset," — et quodam respectu Hallerus 2), qui haecce habet: „multo serioris aevi esse videtur (Sorano), ex duritie ferrei stili, qui quintum saeculum sapiat." — Alteram opinionem sequuntur: Vossius, 3) argumentum adducens: „Sorani enim meminit, Galeni non item, eum minime neglecturus, nisi maior natu esset; laudare enim eos solet, ex quibus profecit." — Quenstedt, 4) dicens: „Aurelianus, qui claruit A. C. 180." — Hallerus, 5) hosce locos habens: „Non post seculum quin-

1) l. c. p. 651.

2) Bibliotheca medicinae practicae Tom. 1. p. 207.

3) Ger. Joann Vossius de Natura Artium lib. V. cap. 12

4) J. Andr. Quenstedt de Patriis illustrium Doctrin. et Scriptis Virorum p. 680.

5) l. c.

tum posuerim, quod Christianae religionis nulla indicia habeat" — et pagina sequente: „Aliquanto vetustior fuerit, si idem est C. A. medicus, cuius Cassiodorus meminit. — Hecker, 8) dicens: Dass von ihm Galen nirgends angeführt wird, den kein späterer übergeht, ist um so mehr ein Beweis, dass er selbst ein Zeitgenosse desselben gewesen ist, da er es hier mit einem abgesagten Feind der Methode zu thun hatte, und mit der Erwähnung gleichzeitiger römischer Aerzte überhaupt sehr karg war." —

Quorum Virorum laudatorum auctoritate atque argumentis historico-criticis allatis commotus, verisimile mihi esse videtur, Aurelianum fine saeculi secundi et initio tertii vixisse, aequalem itaque Galeno, Marco Aurelio, Lucio Vero et Commodo exstitisse.

De Aureliani quoque institutione ad medicinam, quibus praeceptoribus gavisus sit, nihil certi prodere possumus; nam quamquam summam veritatis speciem prae se ferat, Aurelianum Sorani Ephesii, principis sectae methodicae, medici honorati, felicis atque scriptoris elegantis graeci libris diligenter usum fuisse, quamquam ipse fateatur, Sorani libros in latinam se

---

1) Geschichte der Heilkunde von J. F. C. Hecker. 1r Bd. p. 425.

vertisse, 1) quamquam sententias placitaque eius fere ubique sequatur, constat tamen, Soranum 2) fine saeculi primi atque initio secundi, temporibus Trajani atque Hadriani vixisse; quamobrem Soranus Aureliani praeceptor fuisse nequit. Praeterea verisimile non videtur, discipulum Sorani, scriptoris doctissimi, elegantis, eruditi, Graeci eo usque studium linguae graecae et romanae neglexisse, ut libri eius ob dictionis difficultatem vix satis intelligi possint. „Non valde Graecus homo," monet Hallerus 3) „qui podagram non ab ἄγρα, sed ab agresti natura dici putaverit. 4) Meatus dicit, ubi calli erant dicendi, cum (πόρους legeret loco πωρῶν." — Et re vera genere scribendi difficili, implexo, irregulari, modo tautologiis, modo archaismis, modo peregrinis et novis a vulgo acceptis verbis Aurelianus usus est, ita ut Scribonium Largum 5) hacce ratione fere aequet.

Reliqua Aureliani vita, locus, quo vixerit, modus vitae degendae, an peregrinationes susceperit, nec ne, gloria eius dum vixerit, progenies

---

1) Acut. Morb. Lib. II. Cap. 1.
2) Suidas voc. Σωρανός. Ap. Charter. T. 1. p. 34.
3) l. c. p. 208.
4) Tard. Lib. V. c. 1.
5) Scribonii Largi de Composit. medicament. Lib.

eius atque mors, haecce omnia plane nos fugiunt. De moribus Aureliani ubi coniectura quidquam eruere studemus, genus scribendi respiciendo facile adducimur, ut rusticos, feros, intemperatosque eos suspicemur. Praeterea in libris de acutis chronicisque morbis asperum refutatorem se praebet, qui nemini, nec Hippocrati, medicinae patri, nec Themisoni, sectae suae principi, satis modice atque decenter parcet. In universum quoque fere omnes sectae methodicae adseclae, Sorano solo excepto, artes litterasque, imprimis philosophiam, gubernatricem scientiarum atque morum, magna barbarie contemserunt atque neglexerunt, quam ob socordiam Galenus 1) quoque eos saepius acerbe graviterque vituperat; quorum vitiorum et Aurelianus expers non fuisse videtur. Nihilominus vero Aurelianus medicinam permultis tradidit, atque magna diligentia et accuratione libros de medicinae partibus singulis in discipulorum usum elaboravit, quorum praeter Bellici atque Lucretii 2) nomina non exstant.

---

1) Galen. method. medic. Lib. 1. p. 42. s. — Galen. de sect. ad introd. p. 13. — Galen. contra Julian. p. 339.

2) Acut. Pass. Lib. I. Praef.

Caput II.

De scriptis C. Aureliani.

E praecedentibus iam satis patet, quanti momenti Aurelianus in historia sectae methodicae eruenda existimandus sit; ne vero ob genus eius scribendi non valde excultum, ob inurbanitatem morum atque eam ob causam, quod libros superstites maxima ex parte non ipse perfecerit, sed e graeco Sorani transtulerit, et ne placitis eius quidem multa alicuius momenti adiecerit, ne ideo, inquam, minoris eum facias, necesse erit hic praemonere, Aureliani solius atque unici e secta methodica libros usque ad nostra tempora pervenisse, e quibus methodicorum placita melius quam ex Galeno 1), inimico acerrimo methodi, dilucidari possunt.

Plurima eius scriptorum temporum iniuria interierunt; Libri de Celeribus et Tardis Passionibus octo soli usque ad nos pervenere, parumque abfuit, quin unicum hocce methodicae sectae monumentum perierit. De cuius dignitate

1) l. c.

apud omnes fere medicos una modo sententia constat. „C. Aurelianus inter veteres medicos apprime doctus, elegans, eruditus, praedicat Chimentellus, 1) omnino dignissimus, quem artis Asclepiadicae terant alumni“ — Methodicum insignem,“ celebrat eum Caspar Bartholinus, 2) et „veterum Logicorum atque Empiricorum quendam generalem censorem aut criticum;“ 3) — „Est alioquin Caelius, dicit Reinesius, 4) iste scriptor eruditus, qui Graecorum vetustissimorum, ut in sectas abierant, doctrinas diligentissime compilavit, digessit, recensuit et libere excussit.“ — „Libri Aureliani,“ loquitur Hallerus, 5) „ex tota antiquitate vi practica eminent, et morborum atque auxiliorum descriptione.“ — Grainger 6), et forsan non immerito, Graecis omnibus, et ipsi Aretaeo eum praefert.

Profecto hocce Aureliani opus gravissimum atque utilissimum omnium auctorum veterum latinorum censendum est; innumerabiles loci e scriptis veterum medicorum nobis hic traduntur, medicorum, quorum placita atque doctrinae vix

---

1) l. c.

2) C. Bartholin. ad Statium. Tom. II.

3) Eiusdem Advers. Lib. XXXVIII. cap. 3.

4) l. c.

5) l. c.

6) Grainger de febre anomala batava. p. 87.

alias adhuc innotescerent, omnium potissimum Sorani. Diagnosin singulorum morborum veterum scriptorum nemo adeo dilucidavit; nemo signa melius eruit, nemo discrimen inter critica et symptomatica signa adeo firmiter posuit. Plures morbos quam ullus veterum, chronicos imprimis recensuit hisce libris Aurelianus, atque, observationibus certis fidelibusque nixus, placita sectae methodicae non nimis strenue sed temperate secutus est. Quinque chronicarum passionum libri insuper magni historici momenti sunt, cum illi quartum in universa medicina de chronicis morbis opus constituant. Themison primo de illis scripsit, 1) quem Thessalus atque Soranus secuti sunt.

Ex editionibus librorum Aureliani de morbis acutis et chronicis, typis impressis, sequentes mihi innotuere:

1529. Tardar. Passion. libri V. a J. Sichardo. Basil. Fol.

(Hosce libros a Theobaldo Wormatiensi, Ludovici Principis Palatini medico, Sichardus acceptos refert, atque in Graecis constituendis et exponendis Jani Cornarii auxilio usum esse fatetur). 2)

1) Scribentium igitur medicinam nullus ante Themisonem tardarum passionum curationes principaliter ordinavit. Aurel. Chron. Praef.

2) J. A. Fabricii Bibliotheca latina T. 1. p. 680.

1533. Acutar. Passion. libri III. a J. Guinterio Andernaco ed. atque emend. Paris. 8.

1547. Tard. Pass. l. V. cum medicis antiquis. Venet. Fol.

1567 et alio titulo 1569. De morbis Acutis l. III. et de morbis Diuturnis l. V., in collectione Henrici Stephani, Lugduni. 8.

1579. Utrumque Aureliani opus ad fidem Msti emendatum et notis illustratum (nomine suppresso) ed. Jac. Dalechampius. Lugd. 8.

1709. 1722 1755 (1757 Venet) De morbis Acutis et Chronicis Libri octo ed. J. Conr. Ackermann; accedunt T. J. ab Almeloveen notae et Lexicon Coelianum. Amstelaed. 4.

1744. Utrumque Aureliani opus curavit A. ab Haller, inter „Artis medicae principes," adiectis passim Reinesianis adnotationibus. Lausann. 8. II. vol.

Editionem Aureliani promisit Nic. Blancardus in praefatione ad Arrianum de expeditione Alexandri. — Thomas Bartholinus inter deperdita bibliothecae suae incendio scripta memorat notas et emendationes in C. Aurelianum. — Librorum chronicarum passionum locos emendat illustratque Reinesius libro tertio Variar. Lect. cap. 17 et 18. — Denique adhuc compertum habeo, Cel. Virum de Ammon, Med. Doctorem atque medicum practicum Dresdae,

Propemptico inaugurali Cl. Viri C. G. Kühn, professoris universitatis Lipsiensis, 1) monitum, novam Aureliani editionem curaturum esse, quam laeto gratoque animo exspectamus.

Reliqui Aureliani libri temporum iniuria perierunt, quorum ipse in libris acutarum et chronicarum passionum sequentes citat atque commemorat:

1) Interrogationes et responsiones; ad Lucretium. — Praef. p, 1.
2) De passionum causis. — Acut. l. I. c. 8. (Hisce libellus nondum ab Aureliano editus fuit.)
3) Salutaria praecepta. — Acut. l. II. c. 11.
4) De febribus. — Acut. l. II. c. 37. (Is quoque libellus nondum editus fuit.)
5) Responsiones medicinales. — Chron. l. I. c. 1.
6) De specialibus adiutoris. — Chron. l. I. c. 4.
7) Epistolae graecae ad Praetextatum — Chron. l. II. c. 1.
8) De muliebribus passionibus. — Chron. l. II. c. 1. (Hae forsan in libris responsionum continebantur) 2.)
9) De chirurgia. — Chron. l. II. c. 1.
10) De medicaminibus — Chron. lib. II. c. 13.
11) Problemata. — Chron. l. III. c. 3.

---

1) Hecker's litterarische Annalen 1. B. p. 88.
2) l. c.

Caput III.

De doctrina medica C. Aureliani.

Aurelianus, ut iam supra dictum, scholam methodicam adsectatus, cuius placita in universum quidem secutus est, nimis tamen eis se non adstringit. Cum vero universa methodus ex unico Aureliani opere superstite et e Galeni libris, cui vero fides ob inimicitiam ac iram in methodicos deroganda est, et partim quoque [ex A. C. Celsi libris nobis cognita sit, brevem succinctamque delineationem methodi, plerumque propriis Aureliani verbis utens, exhibere, simulque eius pathologiam generalem proponere conabor.

Constat, Themisonem, caput sectae methodicae, systema suum ex eo Asclepiadis exstruxisse, aut potius methodum nil esse nisi systema Asclepiadis auctum, emendatum vel interdum quoque depravatum, cuius summam Aurelianus sic habet: „Primordia namque corporis primo constituerat atomos, corpuscula intellectu sensa, sine ulla qualitate solita atque ex initio comitata, aeternum se moventia, quae suo incursu offensa, mutuis icitibus in infinita partium fragmenta solvantur, magnitudine atque sche-

mate differentia: Quae rursum eundo sibi adiecta vel coniuncta (συγκρίσεις, concretiones) omnia faciunt sensibilia, vim in semet mutationis habentia, aut per magnitudinem sui, aut per multitudinem, aut per schema, aut per ordinem. — Fieri etiam vias (πόροι, meatus, canales — invisibilia foramina Cels: l. I. Praef:) ex complexione corpusculorum, intellectu sensas, magnitudine atque schemate differentes, per quas succorum ductus solito meatu recurrens, si nullo fuerit impedimento retentus, sanitas maneat, impeditus vero, statione corpusculorum morbos efficiat." 1) — Cum vero Asclepiades hocce mechanico modo omnia explanare non valuerit, in auxilium vocare coactus est insuper aliquid quasi divinum, (dynamicum ut vocant) quod nonnisi maiore parvitate atque subtilitate ab atomo differre videretur. — „Solutionem ciborum in ventre fieri crudam et per singulas partes ire, ut per omnes tenuis visa penetrare videatur, quod appellavit λεπτομερὲς (ὄγκους λεπτομερεῖς), sed nos intelligimus spiritum." 2) — „Omnia praeterea fieri necessitate, et nihil sine causa, et neque naturam aliud esse, quam corpus, vel eius motum." 3)

---

1) Acut. l. I. c. 14.
2) Acut. l. I. c. 14.
3) ib.

At longa vita Asclepiadis systema apud numerosissimos eius discipulos non fructum est, sed mox, conservata simplicitate maxima, et reiecta difficultate et subtilitate, systema novum, quasi intermedium inter placita empiricorum atque dogmaticorum, a Themisone, cuius vires animi senectute iam fractae erant, 1) conditum est atque methodicum appellatum, quod Aurelianus maxima ex parte adumbravit. Cuius perfectam expositionem quamquam ab ipso Aureliano traditam interitu librorum de passionum causis non possideamus, tamen ex singulis locis operis superstitis et e Celso et Galeno placita eius satis adhuc dilucidari possunt. Quibus placitis Aurelianus adnuerit, quas refutaverit, perfecte ex libris Aureliani de morbis acutis et chronicis liquet. — Summam methodi Celsus breviter sic exponit: „Methodici contendunt, nullius causae notitiam quicquam ad curationes pertinere; satisque esse, quaedam communia morborum intueri: Et quidem horum tria genera esse, unum adstrictum, alterum fluens, tertium mixtum: Nam modo parum excernere aegros, modo nimium: modo alia parte parum, alia nimium.“ 2) — Methodici nempe, derelictis corporibus simplicis-

1) Celsi l. I. Praef.
2) ib.

simis (atomis), canalium (πορῶν) potius conditionem ex iis constitutorum respexerunt, qui vel adstricti vel laxi nimis 1) inveniantur, indeque duplicem morborum naturam statuerunt, morbos a constrictione et a laxitate, quorum illi retentione et siccitate, hi profluviis et secretionibus coniuncti sint. En κοινότητες νοσημάτων (communia, communitates morborum) methodicorum, quibus adhuc, necessitate coacti, genus morborum complexum vel mixtum adiunxerunt, in quo altera pars corporis strictura, altera solutione peccet. Sanitatem vero in statu quodam canalium inter strictum et laxum medio posuerunt, quem uno verbo ἐυτονίαν appellaverunt. Sed ne his quidem tribus generibus omnes morbos subdere potuerunt, quam ob rem indicationi venenum evacuandi communitatis prophylacticae nomen imposuerunt, atque omnes chirurgicos morbos in quatuor communitates proprias redegerunt; nihilominus tamen illas duas supra commemoratas communitates semper praecipuas ac principales

---

1) Haecce verba synonyma inveniuntur: στεγνόν, στέγνωσις, adstrictum, adstrictio, densum, durum, siccum, pressum, arctatum, strictum, clausum, tumens, constipatum — ῥοῶδες, ῥύσις, fluxum, profluens, laxum, diffusum, ampliatum, auctum, rarum, humidum. — vide Hecker's Geschichte 1. Bd. S. 399.

existimavere, quae sufficiant, ut medicum in cognoscendis curandisque morbis ducant. Quo modo quaevis semiologica atque aetiologica quoque morborum disquisitio supervacanea reddi docuerunt, dummodo communitates dignoscerentur. „Differentias ... passionis, dicit Aurelianus, 1) quidam ex accidentium proprietate faciendas existimant. Nos vero aliam dicimus esse ex strictura aliam ex complexione stricturae atque solutionis. Est enim verum (aequum) ita discernere, ut non accidentium diversitas passionis differentias ostendat, sed generalis quaedam ac necessaria designatio, quae fit, ut supra diximus, ex principalibus passionibus, unde etiam curationum ratio sumatur.“ — Et ad aetiologiam spectans locum habet: „Sed neque secundum has differentias (causarum) differens erit adhibenda curatio. Una est enim atque eadem passio, ex qualibet veniens causa, quae una atque eadem indigeat curatione.“ 2) Tamen non plane causas antecedentes remotas omittit, sed in permultis morbis eas breviter ac sufficienter recenset. — Omnem de crisi in morbis doctrinam atque vetera illa Hippocratis placita de diebus criticis Themison plane neglexit atque contemsit, cui vero Aurelianus

1) Acut. l. I. cap. 7.
2) Acut. l. II. cap. 13.

non ubique consentit, uti sequentibus probatur: „Non interrogans (Themison) passionis tempus, sed solum numerum dierum imprudenter attendens“ 1); et alio loco: „Pelluntur enim (acuti morbi) aut fluore sudoris, aut sanguinis per nares, aut ventris.“ 2) — Asclepiadis de constitutione disciplinam etsi Aurelianus non magni faciat, tamen plane reiecisse eam non videtur: „Quidam medici, inquit, ex quibus sunt Asclepiadis sectatores, etiam attendunt aëris qualitatem, quam Graeci κατάστημα vocant, et tempus, et antecedentes causas et naturam et aetatem. — Omnia quidem (haec) sunt providenda, non enim ex uno vel duobus, sed ex multis concurrentibus significatio firmatur.“ 3) — Magni Aurelianus non existimat indagare, quaenam sit pars affecta, quamobrem etiam anatomia ab eo et ab omnibus methodicis parum colitur. „Nos autem, loquitur, sive locorum sive vicinitatis eorum causa generalem curationem non mutamus. Non est enim sub eodem genere iacens locorum necessaria differentia.“ 4) — „Neque valde nobis de praepatienti loco certandum est, ne in occulta quaestione ver-

---

1) Chron. l. II. c. 13.
2) Chron. Praef.
3) Acut. l. I. c. 2.
4) Acut. l. I. c. 8.

semur." 1) Attamen auctor noster in morbis singulis recensendis certamina auctorum de sede morborum non praetermittit, et in pleuritide pleuram sedem morbi esse affirmat. 2) Superstitione, qui tunc temporis fere omnes tenebat, Aurelianum non imbutum fuisse, sequente loco evincitur: „Ignari homines elati saepe medicos fugiunt, cum hos proventus (exitus bonos acutorum morborum) incantationibus novis ac ligamentis (τοῖς περιάπτοις amuletis) adscribunt." 3)

Secundum haec pathologiae generalis principia curatio quoque adhibetur, ideoque omnia medicamina in duas classes, contrahentia et relaxantia dividuntur. Ordo medicaminum hac lege servatus desideratur quidem ob interitum librorum plurimorum sectae methodicae; tamen e singulis Aureliani operis locis summa materiae medicae desumi potest. Calor, potus aquosus, cataplasmata, unguenta, balnea, sanguinis missio, cucurbitulae siccae, clysteres praecipua relaxantia sunt, quibus Aurelianus utitur. Frigorem, vinum, et permulta adstringentia vegetabilia ac mineralia, uti plantaginem, acaciam, ptisanam, malum punicum, myrtum, rosam, gallas, plumbum exustum,

---

1) Acut. l. II. c. 24.
2) Acut. l. II. c. 13.
3) Chron. Praef.

gypsum et alia ad constringendum in usum vocat.

In diaeta et victus ratione aegrotorum summa cum cura diligentiaque omnes methodici et Aurelianus versantur, ita ut fere omnis curatio in diaetae regimine posita fuisse videatur. Lectum et locum, quo aeger versetur, aërem, calorem, lucem, potum et cibum summa accuratione Aurelianus praescribit, semper communitatum rationem habens.

Haecce simplicissima procedendi methodus eo vero valde mutata est, quod methodici, imprimis in acutis morbis periodos morborum varias discernerent, et summa quidem cura, ut olim Asclepiades, in periodo ternorum dierum versarentur, (διάτριτος) 1) secundum quod tempus novam adhuc indicationem constituunt, communitatem temporalem (κοινότην καιρικὴν) appellatam, quam vero semper communitatibus curativis (κ. θεραπευτικαῖς) subiiciunt.

Frustra vero curatione hac simplici adhibita, aliam adhuc atque valde diversam substituunt, cuius finis esset, ut mutua ratio atomos inter et canaliculos vacuos mutaretur, quam recorporationem (κύκλον ἀναληπτικὸν) appellant. 2) Corpus

---

1) Chron. lib. II. c. 13.
2) ib.

aegroti ad hanc curationem sustinendam praeparatione eget, quam circulum resumptivum (μεταποροποίησιν, μετασύγκρισιν) Aurelianus nominat, et ita describit: „Prima die parvo cibo atque aqua nutritus aegrotans, vel si ferre valuerit, ab omni nutrimento abstentus, alia die levi motu erit exercendus, atque oleo perungendus; tunc et cibo nutriendus, id est, tertiam accipiat partem solitae quantitatis, quam facile percipere atque digerere solebat.. In hac perseverante qualitate atque quantitate, duobus vel tribus diebus ... Tunc detractae partis partem tertiam adiicientes . . . Tum rursum post tres vel quatuor dies aliam tertiam partis panis adiiciemus . . . . atque ita aequali numero dierum peracto, ultimam partem panis addemus . . . Praeterea simili modo erit etiam vini facienda partitio . . . ac si plus aegrotans bibere, quam damus, voluerit, aquam sumat.“ 1) — „Perfecto resumptivo cyclo, pergit auctor, metasyncriticus erit adhibendus,“ quem hoc modo institui iubet: „Prima die erit cibo abstinendus aegrotans, tum alia die . . . rursum panis dabimus tertiam partem solitae quantitatis . . . et pulmentum 2)

1) Chron. l. I. c. 1.

2) Voce pulmenti Aurelianus varii generis cibos, μέσης ὕλης dictos, coctione atque elixatione teneros redditos intelligit.

salsum. (Graecis drimyphagia appellatum) . . . . Potum dabimus vinum, et si perferre voluerit aeger, in iisdem duobus vel tribus perseverabimus diebus; . . . tunc sequenti die panis detracti partem tertiam addimus . . . tum rursum aliam tertiam partem panis addentes . . . atque in eodem simili dierum numero perseverantes, ultimam partem panis addimus." 1)

Caput IV.

Aureliani pathologia atque therapia specialis acutorum morborum.

Discrimen certum inter acutos chronicosque morbos Aurelianus nullo loco claris verbis exhibet, atque nullo modo febris, prout vel adsit vel deficiat, satis apta ei videtur, ad limites inter utramque classem constituendos. Unicus locus, qui huc spectat," (Tardae passiones), quae solo superpositionis (exacerbationis per intervalla redeuntis - τῆς ἐπιτάσεως) tempore superioribus (acutis) sunt similes, in lenimento vero varia recorporatione formantur . . . Celeres enim, vel acutae pas-

1) Chron. lib. I. c. 1.

siones etiam sponte solvuntur, et nunc fortuna, nunc natura favente", 1) therapiam potius respicit. Acutas passiones vero dividit in duas classes, prout vel cum febribus coniunctae essent, vel sine febribus. 2) Non satis clara atque firmiter stabilita quidem haecce divisio apparet, imprimis cum nonnullas inflammationes internas, e. g. pleuritidem, peripneumoniam febrilibus, alias, v. c. synanchen, apyreticis morbis adnumeret; sed tota haecce divisio omnibus methodicis parvi momenti fuisse videtur, qui potius stricturam aut laxitatem respexerunt. Hac ratione Aurelianus in tres classes morbos dividit, quos tamen hoc ordine non tradit. Morbi acuti a strictura nimia ex Aureliani sententia sequentes sunt: Phrenitis, Lethargus, Apprehensio, Pleuritis, Peripneumonia, Synanche, Apoplexia, Spasmi, Hydrophobia, Tormentum acutum, Satyriasis. A laxitate ortum ducunt: Diarrhoea, Dysenteria, Vomitus, Morbus cardiacus. Generis complexi est ex acutis Morbus cholericus.

Metam mihi propositam propius accedens, ut Aureliani medicinam melius exponam, nunc ad singulos acutos, ab eo traditos morbos breviter recensendos me accingam.

---

1) Chron. Praef.
2) Acut. l. I. Praef.

Liber primus acutorum morborum de phrenitide sola agit. Phrenitis vero, ex Aureliani sententia, „est alienatio mentis celeris, cum febre acuta atque manuum vano errore, ut aliquid suis digitis aegroti attrectare videantur, quod Graeci κροκιδισμὸν sive καρφολογίαν vocant, et parvo pulsu ac denso." 1) — Sic igitur optimo iure Aurelianus phrenitidem a deliriis chronicis (mania et melancholia) differre effatur; qua in re idem vero, quod seriorum auctorum permulti, commisisse videatur vitium, quod symptoma pro morbo habuerit, et non luculenter satis genesin huius symptomatis evolverit. Aurelianus aperte enim hic confundit deliria febrilia ex sensorii communis irritatione primaria et secundaria, quorum utrumque, etsi differentia essentialis ea non intercedat, tamen diversam utique curationem exposcit. In universum vero verisimile est, Aurelianum nomine phrenitidis encephalitidem primariam comprehendisse. — Morbi signa in praesagientia ac diagnostica egregie dispescit, quorum illa praedispositionem ad morbum praenunciant. Si quis in phrenitidem inclinat, sequitur febris acuta, pulsus obscurus, celer, frequens, vultus subinflatus, plenus, epistaxis, turbulentus somnus, insania turbulenta vel hilaritas sine causa, iactatio

1) Acut. Praef.

frequens cum capitis assidua commutatione, oculorum rubor cum levi lacrymatione, urinae aquosae larga excretio, susurrus et tinnitus aurium, visus alienatus. 1) Phrenitis vero cognoscitur e superveniente febre acuta, pulsu parvo et crebro, carphologia et alienatione mentis. Iracundi sunt vel hilares aegroti, lucem et tenebras fugiunt, neque cibum nec potum postulant; vigiliae urgent, visus fixus, oculi sanguinolenti apparent, venae tument, epistaxis, tremor manuum et stridor dentium adsunt, decubitus frequenter mutatur; denique pulsus frequentissimus fit et submersus et tremulus, singultus oritur, vox deficit, quibusdam diaphoresis evenit, alii spasmis vel pressura, id est somno alto et profundo, opprimuntur. 2)

Nunc ad curationem phrenitidis aggrediar, quam fuse Aurelianus describit, ut inde curatio cuiusvis morbi ex strictura desumi possit.

Iaceant oportet phrenitici, praescribit, loco quieto, medio obscuro, tepido et amplo mediocriter; optime etiam convenire docet curationi, si aeger usque ad accessionis declinationem vigilet, tunc somno demittatur, ligaturis ad aegrotum coercendum utendum esse, postquam lana aut veste membra antea praetecta fuerint. Fomentationes

1) Acut. lib. I. c. 2.
2) Acut. l. II. c. 3.

ex aqua calida, oleo et mucilaginosis ad siccitatem oris et stricturam corporis minuendam praecipit. Ubi strictura sola ac vehemens adsit, potum largum imperat. Viribus bene adhuc vigentibus, venam intra diatriton 1) secat, post phlebotomiam caput fovet; alia diatrito cucurbitulas occipiti, atque fronti quatuor vel quinque sanguisugas (hirudines) apponit. Si vires aegroti dissolutae fuerint, cibum dat simplicem, parcum, facilem concoctu, relaxantem; et si necessitas urgeat, etiam vinum. Perfecta curatione gestatione aeger utatur sensim sensimque augenda. 2)

Summo ingenii acumine hisce verbis Aurelianus curam encephalitidis nobis tradit, et nisi sectae methodicae nos addicere velimus, semper eius praecepta vera inveniemus. —

In secundo libro Aurelianus ceteras acutas passiones cum febribus coniunctas tradit, quarum seriem lethargus incipit.

Lethargus, ex Sorani sententia, quam Aurelianus modo e graeca in latinam linguam vertens, verbotenus nobis refert, „est pressura

---

1) Prima diatritos est primum triduum ab invasione morbi; secunda communem cum ea diem habet, et incipit a die dertia, et finem habet quinta; ita tertia diatritos incipit a quinta, et terminatur septima.

2) Acut. l. I. cap. 9 et 10.

nta cum acutis febribus et pulsu magno ac
rdo atque inani." 1) — Hic quoque Aurelia-
um symptoma ac exitum multorum morborum
o morbo ipso sumsisse, admonere vix necesse
t. — Praesagientia lethargi signa fere eadem,
ae in encephalitide, diagnostica vero haecce
umerat: hebetudo sensuum, pressura, febris
uta, pulsus magnus, tardus, inanis et inflatus,
n fortis, sed magis debilis tactu, sensus et mo-
s involuntarii imminuti; iacet aegrotus immobi-
, resupinus, respiratio tarda et magna, excretio-
s urinae et alvi retentae; denique stupor sum-
us, sudores frigidi, glutinosi, involuntaria
cum emissio, mors. 2) — Lethargum gra-
rem morbum phrenitide esse, monet Aure-
nus, et saepe unum in alterum commutari,
melioris quidem ominis signum esse, si lethar-
s in phrenitidem transeat. 3) — Curatio eodem
e modo quo in phrenitide instituenda est;
m vero strictura gravior adhuc sit, frequentius
vena secanda est. Si alvus adstricta sit, clyste-
us ducenda. 4)
prehensio vel appressio, Graecis κατάληψις,

Acut. l. II. cap. 1.
Acut. l. I. cap. 3.
Acut. l. II. c. 1 et 3.
Acut. l. II. c. 6.

Hippocrati et Diocli ἀφωνία, Praxagora κωματώδης, Antigeni Cleophantino ἀναυδί Philippo κατοχὴ, vicina atque similis letharg passio est, cuius differentiam a lethargia, apo plexia, stomachica passione, aphonia in febribu et e vermibus, animi deliquio et uteri praefoca tione summo cum studio auctor noster explica vit. 1) Somnum profundum, motus voluntario imminutos, tardas aegroti responsiones et ali signa cum lethargo communia refert; 2) propri vero eius sunt: genarum rubor, febris continua salivatio, pulsus plenus, erectus, decubitus ae groti supinus, colli distentio, vehemens alvi ad strictio. 3) — Saepe morbum in phrenitidem au lethargum commutari, et semper acutum esse etiamsi in chronica febre occurrat, auctor ad monet. 4) — Curatio ut phrenitidis et lethargi fere perficitur.

Pleuritis est „dolor vehemens interiorum lateris partium, cum febribus acutis et tussicula, qua variae qualitatis liquor" exscreatur. 5) Maxima diligentia et summo studio differentias inter illam et peripneumoniam et vomicam et asthma et dolores lateris sine febre noster recenset, atque

---

1) Acut. l. II. c. 10.
2) ib. 3) ib. 4) ib.
5) Acut. l. II. c. 13.

nsitum pleuritidis in pneumoniam et vomicam, est suppurationem, egregie exponit. 1) Curatiom vaporibus et fomentationibus instituit, vem vel tertia die, vel intra ipsam diatritum cat; periculosam vel suspectam alvi fluxionem cco plantaginis, acaciae, ptisanae, vel cortice ali punici, myrti, celsae agretis, rosa, galla hibet. Potum parcissima manu dari iubet, it neque sputorum neque ventris fluxio augeır." 2)

Peripneumonia secundum Soranum et elium est „strictura vehemens atque acuta lmonis, cum sputis et siti et febricula celeri ue acuta." 3) Dignoscitur malum ex febre acugravedine et dolore obtuso thoracis et latern. Positu erectiore, supino aegrotus levatur, eri incumbere ob dispnoeam et praefocationem uit. Vultus ruber, oculi veluti pingues, splentes, respiratio celerrima, tussicula sputa sanguienta, vel fellea, vel quasi fuliginosa movens, sus vehemens et celer, anxietas, vigiliae, sudor eriorum partium. 4) — Curationem eandem quam in omnibus morbis e strictura adhibet, ritum observat, venaesectionibus, cucurbitulis,

---

Acut. l. II. c. 15 et 17.
Acut. l. II. c. 18.
Acut. l. II. c. 26.
Acut. l. II. c. 27.

catapiasmatibus emollientibus et oleosis utitu[r,] ad sputa promovenda decocta mucilaginosa ex foe[-]nu graco et aliis suadet. 1)

Cardiacum malum est „solutio celeris at[-]que acuta, qua corpora (atoma) per omnes vi[-]arum particulas disiiciuntur." 2) Magnae obstan[t] difficultates, quominus sufficienter et certe dilu[-]cidemus, quisnam sit morbus nomine cardiac[o] descriptus, et quo nomine hodie gaudeat. Verisimile mihi esse videtur, malum cardiacum morbum com[-]positum et complicatum esse, forsan febrem nervosam vel putridam cum statu gastrico et Ephidrosi. — Cognoscitur vero secundum Aurelianum e se[-]quentibus signis: articulorum frigido torpore, pulsu denso, celere, parvo, debili, inani et quasi fluente, et ubi increscat passio, etiam demerso, obscuro, tremulo, inordinato et intermittente. Hallucinationes et animae alienationes cum vigi[-]liis et repentino per totum corpus diffuso et coa[-]cervato sudore variae qualitatis aegrotum urgent, respiratio parva atque anhelosa, vox tremula at[-]que rara, labra pallida, sitis immodica, oculi concavi, animi vires dissolutae deprehenduntur. 3) Cardiaci modo febricitant, modo non. 4) —

1) Acut. l. II. c. 29.
2) Acut. l. II. c. 31.
3) Acut. l. II. c. 32.
4) Acut. l. II. c. 33.

Signa nonnulla morbi cardiaci prognostica auctor noster **Hippocratica** fere veritate atque accuratione evolvit. 1)

Cardiacum malum, a laxitate ortum ducens, propriam et adaptatam curam sibi exposcit, quam Aurelianus fuse nobis tradit, ita ut curatio omnium morborum a laxitate satis inde clarescat. Cardiaci locis frigidis, umbrosis et obscuris iaceant necesse est, aër quoque refrigeratus sit. 2) Fomentationes frigidas ex aqua, aceto, oleo circa pectus, caput et hypochondria Aurelianus adhibet, ut etiam succis adstringentibus, v. c. plantaginis, polygoni, portulacae, pulicariae, sémperviventis, myrti, rosarum, mali punici etc: utitur. Cuti, perseverante sudore, exsiccantes pulveres adsperit, uti terram samiam et cimoliam, rosam aridam et cretam, alumen, plumbum exustum, gypsum, mala punica. Potum parcum, frigidum, aquam nivatam, cibos nutrientes, aromaticos, frigidos, faciles concoctu, adstringentes et vini usum cautum commendat. 3)

Passionibus acutis sine febribus **Aurelianus** porro adnumerat sequentes morbos, quos in tertio libro contentos invenimus.

---

1) Acut. lib. II. c. 23.
2) Acut. lib. II. c. 37.
3) ib.

Synanche, vel lynanche, vel cynanche, (cuius species parasynanche et hyanche sunt) „est difficultas deglutiendi atque praefocatio acuta a vehemente tumore faucium.“ 1) Cognoscitur morbus motu impedito et dolore colli et faucium, salivatione, deglutiendi difficultate et respirandi impedimento. Ingravescente morbo faucium, uvae, gutturis tumor apparet, qui loco suo atque magnitudine suffocationem gignit. In morbi acme oculi sanguinolenti prominent, venae tument, lingua ultra dentes prolabitur; pulsus celer, densus, iacendi difficultas. 2) Interdum sine tumore manifesto synanche se exserit. Si ignis sacer (erysipelas) circa pectus et collum erumpat et persistat, bonum eventum sperandum esse, monet Aurelianus. 3)

Curationem in universum secundum principia therapiae generalis Aurelianus instituit; ubi vero tumor magnus admodum est, non solum linguam, fauces et palatum, quandoquidem locali sanguinis detractione tumor relaxatur, sed etiam occiput, pectus et palas tenui longoque phlebotomo incidit. 4) Raninas vero venas contra Hip-

---

1) Acut. lib. III. c. 1.
2) Acut. lib. III. c. 2.
3) ib.
4) Acut. lib. III. c. 3.

pocratem non vult secari, et laryngatomiam plane reiicit.

Apoplexia est „oppressio saepe sine febre, repentina, quae sine febribus sensu privat corpus, semper celerrima, nunquam tarda." 1) Egregiam eius descriptionem noster tradit, quamvis differentiam essentialem inter diversa apoplexiae genera non intelligens de sanguinea sola loquitur. — Quibusdam, dicit Aurelianus, pracedunt quaedam signa, ut gravedo vel dolor capitis, aut vertigo, aut aurium tinnitus, motus voluntarii impediti, tremor artuum, praecipue labrorum, tremula locutio et interrupta, oblivio, vultus tumidus. 2) Irruente accessione aegrotus repente prosternitur, voce privatur; mentis actiones opprimuntur, corpus immobile redditur, vultus distorquetur. Pulsus densi et vix sensibiles sunt, respiratio parva, color plumbeus, involuntaria lacrymatio, articulorum gelidus torpor. Morbo ad exitium vertente vultus aegroti adducitur, praecordia tument, corpus torpet, superiores partes sudoribus frigidis teguntur, pectus stridet, palpebrae demissae ac immobiles haerent. 3) Ad stricturam haece passio pertinet, in senibus, hieme et autumni fine frequentius occurrit, et aegre semper curatur. 4) Methodum curandi rela-

1) Acut. lib. III. c. 5.
2) ib.
3) ib.
4) ib.

xantem **Aurelianus** adhibet, imprimis venaesectionem, quam vel ante diatritum, remissionis tempore aut circa primae lucis ortum instituit. 1)

Conductio et distentio, (Spasmus et Tetanus vel Trismus) cuius species sunt emprosthotonia et opisthotonia. „Conductio est involuntaria tensio atque conductio partium cum vehemente et acuto dolore a nimia strictura; distentio vero est involuntaria tensio rigidi et inflexibilis colli a vehemente strictura sive tumore.“ 2) Diagnosis, quam **Caelius** exhibet, praecipue trismum respicit, et quidem haec signa habet: difficilis cervicis motus, nervorum (τενόντων, tendinum) dolores et tensio et durities, dolores pungentes a spina usque ad occiput, deglutitio impedita, temporum dolores, tum maxime, cum os aperire studet aegrotus, aucti, auditus difficilis, linguae impeditus motus, salivatio. Ingravescente morbo collum et musculi buccarum distenduntur et dolent, os aperiri nequit, sudor plurimus exoritur, articuli torpent, pulsus obscuri fiunt, crura et manus contrahuntur, quibusdam etiam mens alienatur. 3)

In hoc quoque morbo curando solam stric-

---

1) ib.
2) Acut. l. III. c. 6.
3 ib.

turam respicit, quae emollientia, laxantia indicet. Si vehementes fuerint dolores, phlebotomia remissionis tempore atque ante tertium diem adhibenda est. 1)

Hydrophobia (Hygrophobia, Phobodipsia, Pheugydria, Cynolyssia) „est appetentia vehemens atque timor potus, sine ulla ratione, ob quandam in corpore passionem." 2) Fuse de hydrophobiae diagnosi loquitur, et inter alia signa etiam colis erectiones frequentes et seminis involuntariam eiaculationem enumerat. 3) Passionibus stricturae vehementis eam accenset, corpori potius quam animae tribuendam, „nam antecedens morsus, monet auctor, ex quo causa descendit, utique corporis fuit et non animae." 4) Curationem in universum, quae stricturam nimiam tollat, praescribens, venae sectionibus et scarificationibus utitur, summas cautelas in offerendo potu laudat, atque clysteribus aegrum nutriri docet. 5)

Tormentum acutum, Graecis ileon, aliis etiam Chordapsum dictum, „est intestinorum contortio extenta atque perniciosa." 6)

1) Acut. lib. III. c. 8.
2) Acut. lib. III. c. 10.
3) Acut. lib. III. c. 2.
4) Acut. lib. III. c. 13.
5) Acut. lib. III. c. 16.
6) Acut. lib. III. c. 17.

Morbus exhibet inflationem vehementem ventris et intestinorum et peritonaei et cutis, dolores iliorum totiusque ventris excitat; ischuria atque alvi obstructione aeger premitur; accedunt salivatio, sitis vehemens, respiratio stridens, anhelosa, articulorum frigidus torpor, singultus, pulsus densi. Vomitus initio contenta ventriculi, deinde stercora evacuat. 1)

Multos plane diversae indolis morbos Aurelianus hic comprehendisse ac confundisse videtur, uti enteritidem, ileum spasticum, volvulum, hernias incarceratas et alia. — Stricturae acutae, vehementi morbum adscribit, quam ob rem methodum relaxantem ei opponit respectu diatrito, venam secat, oleosos dat clysteres, primis diebus abstinentiam commendat. 2)

Satyriasis est „vehemens veneris appentia cum tensione ob aegroti passionem." 3) Exoritur vehemens genitalium tentigo cum dolore et incendio et pruritu immodico ad venerem libidinosam cogente, mentis alienatio, hallucinationes, pulsus densi, respiratio crebra, vigiliae, sitis, cibi fastidium, urinae difficultas, obstructio, interdum febris, denique spasmi et involuntaria seminis eiaculatio. 4)

---

1) ib.

2) ib.

3) Acut. lib. III. c. 18. 4) ib.

Confundere Aurelianus videtur hunc morbum cum inflammatoriis variis affectibus viarum urinarium et partium genitalium, cum spasmis harum partium et forsan mania erotica. — Est autem passio stricturae et celeris et vehemens, in qua tota nervositas, ex Aureliani verbis, patitur; 1) quamobrem methodum relaxantem summopere laudat.

Cholerica passio est „solutio stomachi ac ventris et intestinorum cum celerrimo periculo." 2) Dignoscitur morbus vomitu, quo primo corupti cibi, humores et fel flavidum, dehinc vitelli ovorum similis materia, tunc porracea atque aeruginosa, ultimo nigra eiiciuntur, ventris borborygmis cum dolore et excretione alvi spumosa, acerrima, aquosa, loturae carnis instar. 3)

Adeo denique acuta et celeris passio esse a veteribus memoratur, ut aeger nunquam secundam diem superet. 4) Morbus a sola solutione, aut ut plerumque fit, ab adiuncta nonnullarum partium strictura pendet. 5)

Ut summa cum diligentia atque industria ad huius mali curationem aggrediamur, ipsius mali indoles valde mixta postulat, quod inde optime diiudicare potest, quo caute sapienterque Aurelianus in tali implicato, periculosissimo morbo, nimis angustos scholae methodicae limites transgrediens, curationem instituerit. Cholericos primum eodem, quo antea de cardiacis dictum est, modo locat, potum aquae tepidae ad emesin leniter promovendam, si quae corrupta removenda supersint, imperat, deinde spongias aqua frigida

1) ib.
2) Acut. lib. III. c. 19.
3) Acut. lib. III. c. 20.
4) ib.
5) ib.

atque aromaticis succis imbutas, praecordiis imponit, si vero dolores valde exacerbentur, calidis, temperantibus, oleosis utitur. Praeterea cucurbitulas siccas ad stricturam solvendam adhibet. Per intervalla aquam frigidam aegro porrigit, et si vires languescant, non exspectata prima diatrito, remissionis tempore cibum mucilaginosum, nutrientem, facilem concoctu et leniter adstringentem permittit. 1)

De defluxione vel diarrhoea pauca modo Aurelianus habet, cum plurima et gravissima de ea iam in praecedente capite contineantur. Forsan illa nostri auctoris observatio, diarrhoeam diutius perseverantem intestinorum vulnerationem efficere, indeque dysenteriam sequi, fidem nostram non omnem meretur. 2)

Haec sunt, quae ex Aureliani principiis memoratu dignissima mihi visa sunt. Quae etsi ex eius tantum libris de morbis acutis hausta sint, ideoque vix dimidiam totius doctrinae partem amplectantur, etsi, qui vel ex hisce pagellis aliquem reverendi illius auctoris amorem conceperit, reliquorum etiam brevem delineationem forsan concupisceret; tamen mihi persuasum habeo, medicum ingeniosum, rei diagnosticae gnarum, peritum atque agendo strenuum satis posse cognosci ex eo, qualem in curandis morbis acutis sese exhibeat. Sed sive lauder sive reprehendar, quod doctrinam de chronicis morbis omiserim, Te liceat, Beate Aureliane, orare, ignoscas mihi, quod opus Tuum profana manu dilaceraverim atque mutilaverim!

1) Acut. lib. III. c. 21.

2) Acut. lib. III. c. 22.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS UNIVERSITATIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego, Ioannes Rudolphus Ludovicus Siedmogrodzki, natus sum Berolini d. IX. m. Iulii A. MDCCC patre optimo, professore et rectore scholae, quae Custrini floret, matre ex gente Bonhagiana, quae iam dudum vae! diem supremum obiit. Primis litterarum rudimentis imbutus in scholis urbis patriae, deinde a patre ipso eruditus sum. Die primo mensis Novembris A. MDCCCXV., examine feliciter absoluto, in numerum alumnorum seminarii regii medico-chirurgici militaris a Beat. Mursinna adscriptus sum, ibique per quadriennium arti medicae operam dedi. Interfui scholis philosophicis Beat. Virorum Kiesewetter et Solger, physicis et chemicis Cel. Hermbstädt et Turte. Historiam naturalem mihi tradidere Cel. Link et Lichtenstein; anatomiam Ill. Knape et Rudolphi; physiologiam Ill. de Könen, Koreff, Osann, Rudolphi; semioticen Cel. Hecker et. F. Hufeland; pathologiam generalem C. F. Hufeland; materiam medicam Ill. Osann; pathologiam et therapiam specialem Beat. Formey et Ill. Horn et C. W. Hufeland. In chirurgia praeceptores mihi fuere Beat. Mursinna, Ill. Graefe, Kluge et Rust; in arte obstetricia Cel. Kluge;

in medicina forensi et arte formulas medias conscribendi Cel. Knape. Interfui institutionibus clinicis Virorum Ill. Graefe, Horn, Hufeland, Neumann et Rust.

Studiis peractis per annum in nosocomio caritatis Berolinensis chirurgi munere functus sum, deinde vero officia chirurgi militaris suscepi. Tribus annis praeterlapsis, ut cohortis Praetorianae equestris rebus medico-chirurgicis praeessem, Berolinum revocatus sum.

THESES DEFENDENDAE.

Vomitus ventriculi propria vi perficitur.

Expectorantia nego.

Ophthalmia sic dicta aegyptiaca non est inflammatio.
